Royzii Petri: Chiliastichon, Crac. Lazarus Andreae excussit. 1557.

PETRI ROYZII MAVREI, CHILIASTICHON.

CRACOVIAE,
Lazarus Andreæ excuſsit.
M.
D. L.
VII.

AMPLISSIMO VIRO IOANNI PREREMBIO, POLONIAE PROCANCELLARIO,

PETRUS ROYZIUS MAUREUS, S. P. D.

CARMEN à me nuper lucubratum, Procancellarie amplißime, quo ALoysium Lipomanum Veronensium Episcopum, sanctum pi-umque senem, ad statum religionis componendum: qua de re à PAULO quarto eius nominis Pontifice Maximo huc missus venit: aut potius ad id aggrediendum, hortor: ad te mittendum existimaui. non tam illud vt legas: quàm vt acri censura tua, quantum plurimæ maximæq; occupationes, quibus distineris, ferunt, melius reddas. & tanq; Promethei ferula admota animes, vitaq; inde accepta incipiat dici tuum: in tuoq; nomine appareat: si modò, vt in apertum proferatur, quod tuo iudicio arbitratuique permitto, dignum putaueris. Nam vt mittatur manu, diuulgeturque: neq; laboro, neq; sanè postulo, quin vereri debeo: non ob eos homines, qui noua religionis opinione distracti, à nobis dissentiunt: quippe quos neq; in manus quidem sumpturos carmen hoc, exploratum habeo, sed ob nostrates, quibus hæc scripsimus. non defuturis, vt pleriq; sunt homines, in alieno scripto lynces, in suo talpæ. qui studiū meum, & hāc qualemqualē à me nauatam operam cum reprehendere fortasse non poßint, carmē in culpam vocent: & complura suas aures implere negent, vt notus ille proverbioq; celebratus Momus: qui cum Praxitelis Venerem carpere nō posset: sandalium carpsit. Sed hos, sicuti spero, ne carmini insultent meo, auctoritas tua cohibebit: non ausuros, quæ tibi probari cognouerint, improbare. tuo itaq; in nomine, si lectu dignum censes, in lucem carmen hoc meum emitte: sin minus, in tenebris sine delitescat. & Vale.

Ad. V. Id. April. Vilnæ. Anno post CHristum seruatorē natum, septimo & Quinquagesimo, supra Millesimum & Quingentesimum.

AD ILLVSTREM VIRVM ALOYSIVM LIpomanum Veronenſium Epiſcopum. PAVLI IIII. Pontificis Maximi in Polonia Legatum. *PETRI ROYZII MAVREI HISPANI IVRISCONSVLTI,*

CHILIASTICHON.

SAncte ſenex, ætas quo noſtra prioribus annis
Se exæquat, priſciſq; atauorum haud inuidet aris.
Adriaci, LIPomane, ſinus, genus unde: Quiritum
Inſuper immortale decus: te ſoſpite quorum
Vſq; uigebit honos, atq; ullis neſcia ſæclis
Fama mori, non uenturo delebilis æuo.
Veniſti, ô felix, uotis optatus, ad oras
Sauromatûm, ſeptemq; horrentes uſq; triones:
Eſt ubi non æſtas, non uer: ubi Sirius alget.
Non aut delicias, non aut ſolatia quærens.
Quippe quibus tellus gelidam decliuis ad Arcton
Perpetuo caret uſta gelu, niue quæ obruta denſa

Tota

Tota latet: lætos nouit nec ueris honores.
At quærens pius Antistes, quæ gloria Christi est,
Omnem qui fuso seruauit sanguine mundum,
Et pendens cruce tartareum tremefecit auernum:
Deuicitq; manu: sanctorumq; intulit astris
Patrum animas: dedit & sedes habitare perennes.
Huius tu senio grauis, at uirtutibus idem
Et pietate ingens, bonus, est quæ gloria quæris.
Vt uetus, est olim tot qui labentibus annis
Seruatus, templi ritus, quiq; inditus aris
Mos stetit, hic maneat: totoq; colatur in orbe
Sarmatico, pulsumq; procul mox fana profanum,
Inuisi Latio Martini dogma Lutheri
Desinat infestare: ignotisq; exulet oris.
Extremo licet orbe coli nec talia fas sit.
Aduentus hæc causa tui est. te Paulus eundem
Magnis assuetum rebus, qui uertice sedes
Diuum labentemq; humeris uelut alter Olympum
Susten-

Sustentes Atlas, huc sacra misit ab Vrbe.
Paulus, qui Christi uice terris unus & æthræ
Imperitat fungens, æternaq́ uincula nectit.
Exoluitq́ uolens, poenasq́ nocentibus addit:
Iram promeritis diuorum & grandis Olympi,
Ob noxam, & uitæ per magnum dedecus actæ,
Digna pijs addens idem sua præmia nunq́
Interitura, ille has gentes te iussit adire:
Errorem ne Saxonicum, quem serpere latè
Audijt, inq́ diem maiores sumere uires,
Longius ire sinat. mactè ô pietate Dei uir
His occurre malis: atq omnibus exige templis
Sarmatiæ hanc pestem: ter denis quæ amplius annis
Sæuit: perq́ omnes grassatur noxia caulas
Electi gregis, & Christi populatur ouile:
Non parcens adeò pastoribus, ardua quorum
Obtutu mens fixa, Deum meditatur & astra.
Plurima, quæ lachrymas moueant tibi, plurima luctū

Quæ cieant, hic aspicias: audacia paucis
Incessit uesana uiris: quos mobile uulgus,
Quos sequitur plebs stulta duces. antiqua perosis
Est studium templis alios inducere ritus,
Morem alium. quicquid uenerabile tradidit æuum
Maiorum, damnant: pudor hos non continet ullus,
Nullaq́ sane torum tangit reuerentia patrum.
Hoc ausis, quamuis non una eademq́ sequutis,
Omnibus idem animus Romanum excindere nomen,
Exercere odijs. hinc uulgi amentis in illud
Exacuunt iras, in Papæ nomine noxas
Congessere omnes, hoc nomine crimen in uno est.
Omne, quod in terris unq́ fuit. omne quod imam
In Styga detrusit mortales. Nocte tis alumnæ,
Luctifica Alecto, & sæuis redimita Megæra
Anguibus, horribiliq́ furens accincta flagello
Tisiphone soror: est, dices, tolerabilis istis.
Inuisusq́ triceps infernæ ianitor aulæ

Cerberus

Cerberus est minus, & quicquid finxere poetæ
Dirarum: nomen cui detestabile Papæ est,
Noster hic est, aiunt: disces si cætera, tantum
Inter se distant, quantum non dissidet Indus
Gadibus à Tyrijs, quantum haud occasus ab ortu.
Eurum compuleris Nabathæa relinquere regna
Ocyus, aut Lybico Boream coniunxeris Austro,
Quàm, sibi quæ praue hic animis defixit & ille,
Deserat: aut sensu duo consocientur eodem:
Quamuis non paucos, quorum sententia uersa est
In melius, numerare licet Romana perosos
Peste magis placita ac diris, nunc pectore toto
Amplexos eadem, nil credere sanctius illis.
Et pudor humanus nisi quosdam, & noxius olim
Dis tineat rubor, est ingens quos turba sequuta
Stultorum, noua sint modo, qualiacunque sequentum:
Ad deserta ultro redeant sacra nota uolentes.
Stultos præcipiti malunt qui in tartara saltu

Ferri,

Ferri, quàm iusto semel erubuisse pudore.
Inter at errantes, seq; & sua sensa sequentes
Mitior hic illo est: nimium sed quilibet audet.
Sunt multi, quibus illa sedet sententia, fiat
Copia si calicis populo, satis esse: nec ultra
Quærere, Romulei consistere cætera templi.
Antiquis seruata annis, consortia lecti
Presbyteris alij, seruat quem Græcia morem,
Permittenda putant: ne consecrata Deo gens
Vratur, uetitóq; ardens succumbat amori.
Non iniusta canunt, magnus pater annuat illis
Si modo Romuleus, sacrasq; adeuntibus aras,
Quo potis imperio est, iustum sinat esse hymenæum.
Hos tuleris, trifidæ si quid credamus alumno
Sicaniæ. ast audi dicat quid cætera turba.
Hic templo simulachra iubet detrudere. templum
Ille intra sese contendit habere: negatq;
Esse alijs opus, esse nefas commissa fateri

Prisco more,

Prisco more, Deum nihil ignorare, nec illum
Posse latere aliquid. templis accendere lumen
Ridiculum dicunt: nullum nam lumine lumen
Indiget æternum, tenebris procul inde fugatis.
Implorare hominem diuos, & thure litare,
Ius fasque esse negant, atque appellare precando,
Accisis rebus nos cum fortuna premit trux.
Delectus epularum alij, & ieiunia damnant.
Corporis exutos uinclo & compage solutos
Hac fragili, terras linquens cum uita recessit,
Æthereas sedes, aut infera regna manere:
Æternas poenas, & ineuitabile fatum.
Quæ purgent loca nos, leuibus contraria noxis,
Quas uenia dignas fecit Deus, esse negat gens
Abrumpens fas omne, pijs male & impia miscens.
Scilicet hæc figmenta ausi ludicra uocare.
Inde alia atque alia, est quæ commemorare canendo
Ingens, & nostris maior labor omnibus ausis.

 Præstiterit

Præstiterit referam, fulgent quot sydera coelo:
Vestigemq́ idem numerum flauentis arenæ,
Fusa iacet uasti Oceani quæ littore toto.
Hi contra nos stant: hos oppugnare necesse est.
Inq́ uiam quàm mox reuocare errore relicto.
Tu modò Dux, Lipomane, pedem fælicibus infer
Auspicijs: aderunt, tua mox qui signa sequantur,
Insignes pietate uiri, quibus inclyta cordi est
Relligio: & ueteris maiorum haud poenitet æui.
Non passi uacuas palearum more per auras
Impelli, & quocunq́ Noto in contraria ferri:
Immota stant mente: tuumq́ uolentibus omnes
Expectant animis cæptum, tuaq́ orsa morantur.
Hoc qui sacra colunt, & plena numen acerra
Æternum uenerantur, auent. hoc qui horrida tractant
Bella manu: & gaudent depulso finibus hoste
Se & patriam seruasse. tuis sese inferet ordo
Inceptis ingens, NICOLAVM prima sequentem
Dzir-

DZIRGOVIVM signa aspicio, cui prisca ferendum
Gnesna pedum dedit, & primos concessit honores.
Omnia facturum, & nulli indulgere paratum,
Vt Thuscum Tybrim & Romanos seruet honores,
Atq; ultro, si res poscat, profundere uitam.
Hunc iuxta gens lecta Deo, quæ altaria Gnesnæ
Thura ferens scandit, diuis in uota uocatis.
Gnesnæ, quæ septem, magnæ uelut æmula Romæ,
Educit colles, & sese attollit in auras.
Inter quos aderit pietate insignis & ore
ZIDOVIVS præsul. iurisq; peritus & æqui
PSARIVS. & nostris alter DAMBRouius annis
Iustus Aristides. nec non CRASSINIVS æquans
Ante annos senium: tua, Papiniane, sequutus
Docta uolens placita, Ausonijs non impiger oris.
Mox alij atq; alij, doctorum & corda uirorum
Inclyta, qui rebus possint succurrere fessis.
Prolapsam & latè Latij instaurare ruinam.

Et tu, magnanimi nomen sortita leonis
Quem colit urbs, LIGENZA, sacris præfecit & aris
Pontifices supra. quo non Septentrio totus
Relligione tulit, tulit aut pietate priorem.
In sanctam hanc uiresq; feres & robora pugnam.
Andreas inde it ZEBRIDOuius, Albula cuius
(Non, Parnase, tui fontes) sacra proluit ora:
Et fando clarum fecit, linguáq; disertum.
Pontifices inter non hoc est acrior ullus
Sauromatas, nemo sacra iura audacius armis
Correptis etiam, res si exigat arma, tuetur.
Irritet quoscunq;, adeat quæcunq; pericla
Pro CHristo Christiq; fide, leuia omnia ducit.
Quin gaudet patrum pro relligione Quiritum
Probra pati, linguas ridens & iurgia uulgi,
Assueti dirum dictis aspergere uirus:
Et nimium, heu nimium uerbis lacerare nefandis
Presbyterûm genus omne, & quicquid uertice raso

Est ho-

Est hominum, gazam qui contempsere nocentem:
Calcatisq; opibus, Christi sua colla uolentes
Subiecere iugo, fumat quibus ara ministris
Thure sacro, et prece perpetua pulsatur Olympus.
Sic serui diuis, Andrea, et fortibus ausis
Rebus adesto sacris, magno et te numine firma,
Ne nouus irrepat diuorum altaribus ordo.
Aspice quæ te stat series longissima circum
Doctorum, quorum ingenijs et diuite uena
Clara potest Latijs haud quaq; cedere terris
Sarmatia, implicitosq; malis erroribus, urbis
Hostes Romanæ reuocare in pristina: et almas,
Quas nunc contemnunt, uenerari protinus aras.
Primus adest SPOTVS, pietatis cultor auitæ,
Antistes Spotus, quo haud Sarmata creditur ullus
Sanctius excelsa colere alta palatia Romæ.
Impigro has partes studio, mora nulla, PHILippus
PADNEVIVS, magno uerorum accensus amore

Sacrorum, defendet: opem laturus, & omnem
Eximijs operam studijs, atq; ore rotundo.
Non, Petre MISCOVI, tu alijs, non segnior ibis
Hos contra, qui animis hostilibus usq; tumultus
Ore cient rabido, Romanaq́; templa lacessunt.
Contundes dictis: neq; enim terra Itala frustra
Eduxit tot te quondam docuitq́; per annos
Musarum studia, illustres et Appollinis artes.
Hoc generis stirpisq́; tuæ, quo clarior esses,
Ornaresq́; pius Lechææ nomina gentis,
Natalisq́; tui placuit superaddere famæ.
Ecquid enim magnum est, magna de stirpe profectum
Esse, tuæ nisi quid laudis maioribus addas?
VOLSCIus hinc instus, solers VARgauius inde,
Et STAROSREBIus, quē docta Bononia multis
Artibus excoluit, patriæ non ultima gentis
Laus, Latios haud desertos patientur honores.
Et nos DREVICII, haud segnes ad tēpla tuēda,
Præcipiti

Præcipiti properate gradu, & succurrite sacris.
Tu, PETRE POrembi, uigiles non addere curas,
Grande nefas duces. pietas, comprensáq; toto
Pectore relligio, tantis te accurrere rebus
Cogent, & placidos quandoq; abrumpere somnos.
MARTInũ historias uersantẽ sæpe CROmerũ,
Ad præsens reuocabit opus tutela tot olim
Firmatæ fidei ostentis, & sanguine diuûm.
GORSCIus, HERbortusq; ualẽs, OSSoliniusq;
Tres acres, doctiq; uiri, rerumq́; periti:
Dicere siue iuuat, seu posteritatis in omne
Ferre æuum latè dulcis præconia famæ.
Illico delubris aderunt mora nulla tuendis.
PRESLAVI studium, studiũ te distinet ingẽs.
VITHINI, te SLOMOVI, teq; illa KIOVI
Cura premit, SECIGNOVI, TARLOq́; priorũ
Immemores nunq́; patrũ. & CORSBOKIA proles,
Quæ uestra est pietas, procul impius exulet error.

Sospitis

Sospitibus quibus haud Latio fiducia cedet.
Ecquid IOANnis Benedicti in carmina próptas
Pieridas dicam, uigilataq́; tempora uitæ?
Phœbe, inuentorum experiens ut & ille tuorum est.
Vtq́; potens fatis prope functos reddere uitæ.
Cui non ante ullus fuerit pietate ferendus.
Tu quid Amyclei, LANCI, studiose Lycurgi?
Iurisconsulti pietas quid nota KROKERI?
Quid'ue SIGISMVNdus studijs STEZIcius ijsdē
Imbutus, quem non clamorem ad sydera tollet?
Acriter insectans elusos dogmate falso.
Vos qđ, STRAMbosi, THVrobineq́; doctus uterq́;
Cecropijq́; Draconis amans, iustiq́; Solonis.
Bis senæ & quicquid quondam cecinere tabellæ.
Indéq́; quæ nostrum prudentia fluxit ad æuum,
Haud pas Iuri audax iactet sua dogmata Saxo
Sarmatia in magna præsentibus amplius annis.
Hoc & MARICIVS studijs insignis eisdem.

Quo dos-

Quo doctore bonas artes tua, Sarmata, pubes
Cæpit, & ingenuas modo discere disciplinas.
Hoc socijq́ docent, qui urbi data iura Quirini,
Vanda ubi se uictrix, uerorum ignara Deorum,
Regina infelix: ob uirginitatis honorem
Victima seruatæ medias abiecit in undas.
PSOnca qđ ô THomæ: qđ BRIccij: paruulus anguis
Cui dat cognomen, uestras aduertite mentes.
Quodq́ pij fertis non ficto pectore numen
Asserite, & Romam dictis celebrate fauentes.
PROBOSCEVICIVS, nouit quo sydera nemo
Certius, aut coeli motus uenturáq́ fata.
Illéq́, cui præstans Armena SEBASTIA nomen
Indit, Aristotelis studijs atq́ artibus acer,
Nec sacro minus eloquio. et BENDORIVS æquus
Gentis amansq́ suæ & cultor. qui & nobilis arces
Cracouiæ ad celsas pubem formare POlonam
Artibus ingenuis & relligione soletis,

Non has in partes abÿstis: uana quibus gens
Veri, capta furit: mentisq; insanit egena:
Romanos exosa uiros populumq; fidelem.
Quin magna obnixi contra ui, uertere mentem
In melius iussos primas retrahetis ad aras,
Quos Theuton Latio antiquo, & nouus abstulit error.
Hic NOVICAMPanus tradendis artibus acer,
Optandus, patriæ quem Pannonis abstulit ora.
Decedens tamen eximÿ monumenta laboris,
Non ullis olim sæclis peritura reliquit.
ANDREas haud PATRIcius sua clauserit ora:
Non calamis parcet: neq; enim mutatus ab illo est
Euganeas nuper qui doctus adiuerat arces.
Quin maiora licet, fasq; est speremus: & aucta,
Quæ uix augeri potuit, doctrina putanda est
Et pietas, quæ illo fixa est in pectore semper.
An'ne etiam GELASInus abest: nec cũ Itala tellus
Restituit nobis? cuius non addere quicquam

Ingenio

Ingenio potis es t. quin illum protinus ergo
Absq; mora patriæ iamdudum inuisa remittit?
Hic ZEbridouium sequitur longissimus ordo.
Proximus huic, placidos uirtus cui uiuida mores
Altius inseuit, docto DROIOVIVS ore.
Non temnendus & hic, quo se Cuiauia iactat
Pontifice, haud ullis cedens maioribus aris
Gloria. & ANDREAS magnorum clarus auorum
CZARNCOVIVS, fama non inferiora sequutus
Excelsa uir mente: tuus, Posnania, præsul.
Consilijs aderit promptis & pectore toto.
Non passurus, eat retro, quæ patribus olim
Relligio fuit. hoc tendens ad sydera palmas
Orat VISSOCIVS, CORuiq; uerenda senectus.
Incumbens sacris studijs CHOBENECIus optat.
Ingenti & flagrans studio COBILINVS, ad aras
Et quicunq; tuas, Varsouia diues, odorum
Thus adolet. et in his PETRus ARdziachouius æqui

 Et iusti

Et iusti consultus: amans rectiq́ boniq́:
Et constans, omnes pietas hos armat in hostem.
Masouios qui animis certatim ardentibus implent.
Masouios fidei antiquæ ritusq́ tenaces.
Impiger hic ultro ANDREas NOscouius addet
Se socium: gentis præsul, si qua ulla, tenacis
Antiqui ritus, non se quocunq́ ferentis
Masouiæ. quæ laude alias caput exerit omnes
Ante urbes. diuesq́ uiris, et fertilis aruis
Plocia, quam præter pleno fluit agmine flumen
Istula, uelinolo qua se infert proxima ponto,
Istula nauigio submotas quæ educat urbes.
Ante alios præsul surgit BILINIVS omnes,
Artibus instructus sacris. PAVLVSq́ peritus
Iustitiæ MANCOLINIVS iurisq́, quod olim
Addidicit uigilans, fixumq́ in pectore gestat.
Et tu, GLOGOVI, doctas cui Musa per artes
Ferre dedit sese, rerumq́ arcana retexit.

Dictis,

Dic tis, nanq; potes, Latiam fer in æthera famam.
Quid doc ti ualeant, ne ignoret Roma, Poloni.
Te quoq; magna manet, GOSLIci, hoc fama sequutũ.
Rumpe moras, neq; enim docuit te Scæuola frustra
Vic toris populi sanc tis sima iura Quirini.
Quàm noua sec tetur nos tri deliria sæcli
BARTHOLOmæus, amat quo plus sacraria nemo,
NISCICIVS: citius uitamq́; animamq́; profundat.
Quiq; alij largo tua, Plocia, templa uaporant
Thure: Deũq; colunt patrum de more Quiritum.
Non hic DZIADVsius iustus, Præmislia, præsul
Et pius ille tuus, mihi prætereundus: & æqui
Et ius ti consultus, eo non promptior alter
Sec tari antiquos, ritusq́; auferre nouellos.
VCHANI, nec te tacitum indic tumq́; relinquam:
Quem labor exercet studiorum & nobilis oci:
Exosum resides animos & segnia corda.
Doctorum patrone ingens: quoq; doctus & ipse.

 Doctus,

Doctus, quæ priscis prudentia protulit annis.
Doctus et, æterno quæ debita sacra tonanti.
Quò poscit pietas, non ullo segnior ibis:
Stet modò relligio, prisco quæ tradita sæclo est.
Ora LEONARDVS, sibi què Camenecia lectũ
Pontificem accepit, non infacunda resoluet.
Diuorum et sæuo sese feret obuius hosti.
Nec tua, PREREMBI, pietas, nota omnibus, imis
Et quæ animis immota manet sententia, nostro
Hortanda est uersu: sese satis exerit ipsa.
Atq; infesta malis, quæ præsens prodidit ætas,
Dogmatis assurgit: magno et stat robore contrà.
Non cessura, mali in terris quodcunq; ferendum est.
Hoc fratres, et tota domus Prerembia dicat.
Non aliud canit ANDREAS, qui nuper ab urbe
Euganea uenit, Musis et Apolline plenus.
Nec minus impigram sese Lituania contrà
Tota feret: quicquid sacrorum est usq; uirorum:
Quos

Quos locus hic poscit. tu, VALLERIANE, potēti
Qui Vilnæ, his totis qua nulla celebrior oris
Vrbs usq; est, praees, & ritu moderaris auito.
Ipse tuas partes, sacrasq; tueberis aras.
Non se contineat, magno quin protinus ore
ALBINVS præsul Romam defendat & aras
Diuorum, quas gens terris inuisa poloq;
Ne quicq; tentat fundo conuellere ab imo:
Impia commiscetq; piis, sacrisq; profana.
Quid pietatis amans IASSINIVS omnis IOseph?
Qui patriam doctrina armat: pubemq; Polonam
Mittit in Hesperiam discendis artibus aptam.
Haud parcens opibus largus, gazæq; repostæ.
Auxilium ueniens miro properabit amore.
NARCVSIVSq; pius, Lituanæ maxima gentis
Laus, qui splendorem non degener auxit auitum,
Musarum studia, & præclaras gnauiter artes
Adiiciens generi & claris natalibus, unde

Ipse sibi

Ipse sibi & patriæ meritos quæsiuit honores:
Vt flagrat pietate, extrema per omnia ductam
Iampridem rem Romanam, fessamq́ premendo
Subleuet. & BONA tu VENTura qđ egeris? infer
Te mox Narcusio comitem: quibus obtigit una
Et patria atq; fides, eadem quoq; cura recurset:
Incumbatq́ labor, sacratis debitus aris.
Nec tua, NARBVRTI, pietas notissima somnũ
Carpere te, aut placidæ caput acclinare quieti
Motibus in tantis sinet: imperterritus hosti
Te oppones: sanctamq́ feres super æthera Romam.
Aspice, ut aduersum fidens fert pectus in hostem:
Et dictis domet increpitans GALLINIVS ultro.
Magna & pars aderit Latij MACOVIcius unus
Pectore qui toto fontes Aganippidos hausit.
Doctus & hic, rebus doctus succurrere fessis.
ANDRVSSEVICIo non tardior usq; recursat
Cura: dies istud secum noctesq́ uolutat.

Antistes

Antistes pius ac constans, nihil esse nouandum:
Prisca sequamur ait: nuperq́ reperta facessant.
Et tu, præteritos referat cui Iupiter annos:
Exactum'ue quod est, augendo duplicet æuum,
O utinam: memorande senex, quo Vornia nunq́
Præsule iactabit ueteres. Lituania quo non
Sanctius omnis habet, DOMAnoui, quicqđ ubiq́ est
Vsq́ uirûm, diuis adolent qui thura uocatis.
Sis annis licet & senio grauis, & tua tardet
Membra æuum, ad sacras nullus te impigrior aras.
Magna feres unus fidei momenta tuendæ,
Sectari assuetus ueterum uestigia patrum.
VIRZCOVIVSq́ suos canos uirtutibus æquans.
PAVLVSq́ hoc agitans toto IAMONtius unú
Pectore, ne pia quam capiat Samogitia labem,
Addidit hoc munus præsul Domanouius illi:
Est cui nota uiri pietas & niuida uirtus.
Hinc VICTORInus, Cygni VIRbicius instar,
d Roma,

Roma, tuas dulci cantabit carmine laudes.
Inde bonus numeris, pulchráq; Machaonis arte
PETCVNIVS, Musas certans superare canendo
Et plectro Phœbum, tollet super æthera nomen
Romanum, Latiumq; Iouem tuáq; Albula, fana.
Vrit IOANNEM, torquetq; ea cura SCIVrũ.
Dum libros uersat sacros noctúq; diúq;:
Vnde laboranti possit succurrere Romæ.
GRENDIVS hunc iuxta, populũ formatq; docetq;.
Sontibus ostentans Styga, læta insontibus astra.
Laudéq; digna sua est altaria nota tenentis
Dextera CERVINI non inficianda fidelis
Mednicius præsul contrà his comitantibus ibit.
Antistes se addet non annis PACIVS ijsdem:
At pietate tamen iuxta spectandus eadem:
Ante annos maturus. idem quod cuiq; piorum
Propositum est, omne in terris discrimen adire
Ante suos quàm delubris patiatur honores

Auferri,

Auferri, institui'ue nouos, insuetáue sacra.
Non illaudatos ulli, nec Prussia segnes
Pontifices sortita: tuus si, Varmia, Præsul
Prodierit: superesse nihil, quo uincat, agendum
Roma putem. sat erit multis pro millibus unus:
Seu sumat calamos HOSIVS, siue ora recludat.
Doctrina ac studio præstans, nec moribus idem
Vitáue inferior: iustiq; peritus & æqui.
HANnouisKEMpa, EVstachi, uos carmine iungam,
Quos studium iunxit pietatis, & ardua uirtus:
Varmiáq; Aonidum cultrix, urbisq; Quirini:
Flagrantes miro notæ pietatis amore.
Ferte Hosio, debetis, opem: studijsq; uolentes
Iungite uos, hostis iamdudum terga prementi.
Res quoq; Romanas antiquáq; sacra sequutus
Antistes LVBODECIVS, quo Culma beata est,
Mente aderit promptus, Latiumq; ad sydera nomen
Ore pio feret, & meritos defendet honores.

d ij Hi tibi

Hi tibi pontifices, Lipomane, ardentibus ibunt
Auxilio studiis: ultro tua cœpta sequentes.
Nec quos bella iuuant, & Martius excitat hostem
Contra amor, ac positis stragem latè edere castris
Laus quibus est: patrij & fines producere Regni,
Iussa expectabunt resides, aderuntque uolentes.
Ille pater Patriæ, belloque impedita uirtus:
Cuius fama ingens, nullis delebilis annis
Excedens terris caput inter nubila condit,
TARNOVIVS, terris alius iam partus Achilles
Sarmaticus: terrorque hostis, qui hinc plurimus atque hinc
Est circum, metuensque senem sua continet arma:
Primus erit, quem mox Septem plaga tota trionis
Prona sequens, Latio antiquos instauret honores,
Hic nuper sese numeris aduersa sequentum
Ascriptum indoluit, tantaque infrenduit ira,
Ablatis quanta catulis lactentibus ursa,
Siue leæna nemus fertur uiolenta per altum,

Pastoris, si qua apparent uestigia, seruans,
Qui dulces rapuit foetus, & pignora chara.
Ore truci quem dilaceret, fero & execet ungui.
Sic nomen famamq́; suam traducier heros
Tarnouius fremit: & uix se non uindicat armis.
Exemplum Illustris pietatemq́; inclyta proles
Sectatura patris, teneris ut iunior annis
TARNOVIVS docet, ætatem se pectore supra
Attollens toto, Regis qualem aula Quiritum
Eduxit patri & patriæ, non turbida rerum
Dogmata sacrarum, malesuadáue uerba sequutum.
Illustrisq́; STANISLAVS TANcinius adsit
Deliciæ humani generis, decor omnis, amorq́;,
Quo non Sarmaticis quicq́; est augustius oris.
Hic patri similis, quamuis maiora sequutus,
Gracche, tuo in solio, non dissimulator apertum
Fert pectus, prisca plenum pietate. sed idem
Exosus quos non bene Tybridis abluit unda

Mores, ac dignam poenis & carcere uitam.
Cætera Romanus, fidei obseruator auitæ.
Vt non hic patri, sic huic non filius æuum
Maturus supra, absimilis: quem Gallia ueri
Certa Dei cultrix, Henricique aula potentis
Artibus instituit pulchris bellique togæque.
Haud passo patre Sarmaticis sua tempora terris
Prima teri: imbiberet ne quid non purius, horum
Nostra tulit quæ ætas tetris male sueta lacunis:
Illimes linquens amnes & Thusca fluenta.
Nec te IANVSSI LATALICI, nostra silebit
Calliope, cuius magna est reuerentia canis
Debita consilioque, inter quo præditus unus
Sauromatas longe præstas, linguaque diserta.
Non hos tu ritus, non hæc deliria nota
Sectaris: priscisque senex pie, sedibus hæres.
Non tua progenies aliud, uestigia patris
Haud segnis seruans, Romani Regis in aula

Arti-

Artibus edocta eximijs, odisq́ uanos
Audacis sæcli ritus, atq́ impia sacra.
Illeq́ iuris amans & consultissimus, alter
Scæuola Sarmaticis SPITEK IORDanus in oris.
Quo Musis nemo, doctasq́ colentibus artes
Plus fauet. ille malis quantum conatibus obstat:
Romula turbantum templa, & noua sacra petentum.
IANVSSI, ANDrea, uos COScielecia proles,
Illustres fratres, patrij pars magna senatus.
Magnum Sarmatia in magna, & memorabile nomen.
Gentis honor uestræ, haud partes abijstis in illas:
Infestæ Latio quæ extrema minantur honori
Exitia, & sua præcipites in sensa feruntur.
Quin genus hoc estis exosus frater uterq́:
Inuentosq́ nouos ritus, nec flectere sensus
Vithéberga olim uestros, insuetáq́ sacra
Persuadere docens Latio contraria quiuit.
Dogmatis insani si quicq́ impubibus hæsit.

Execrata

Execrata sequens ætas id dispulit omne:
Auertitq; animo, & notis nos reddidit aris.
BARTHOlomæe tuo ZEbridoui pectore quantũ,
Quantum animo condas pietatis, dicere longum est.
Chara tibi patria est, patria sed charior omni
Relligio, & sacris reuerentia debita templis.
Et GASPAR frater Musarum cultor, & omnis
Penè domus, ueterum uestigia nota sequuta est.
Ille toga bonus & bello MIELECIVS inter
Cæsorum ingentes olim seruatus aceruos
Numine diuorum, quorum nunc sacra tuetur;
Prætulit haud alias Latijs altaribus aras.
Hoc patri similis soboles, quæ sola uirilis
Obtigit, estq; ijsdem studijs imbuta sacrisq;.
Illo patre satam ut credas: & Cæsaris aula
Dignum: quæ puerum eduxit, fouitq; colendo,
ANDREA quo te TANcini carmine dicam?
Magne heros, genus illustri de sanguine ducens.

Immotus

Immotus qui stas tanquam Marpesia cautes,
Aut scopulus, quo uim medijs Neptunus in undis
Contorquet maris, & fluctu diuerberat acto.
Te tempestatum nullæ mouere procellæ,
Quæ Petri cymbam exagitant toto æquore frustra:
Non formidatæ nautis nec saxa Maleæ,
Nec Lybiæ Syrtes metuentem, aut Cycladas æquor
Per uastum sparsas, Siculiue pericla profundi,
Immites Scyllas, implacatasq; Charybdes.
Prisca placet pietas, antiquaq; sacra Quiritum.
Hoc animis aderunt complexi & pectore toto
ILOVIVSq; audax, & cedere nescia uirtus.
LAwscius hunc iuxta, iuxtaq; SIEPRCIVS; ambo
Antiqua probitate uiri, non fallere docti:
Sed diuos colere, & superis sacra ferre uocatis.
Prætereūdus erit mihi non DZIALINIVS; olim
Heu malus aduersas quem solicitauerat hostis
In partes; hoc non alius nec firmior usquàm

Nec constans magis: aut diuum reuerentior ullus.

PEtrus CZArncouius proceres fortissimus inter,
Quo Castellano Posnania præside gaudet:
Asseret hic & Romanos non segnis honores.

Inq; mora excultus studijs MACEOuius ulla
Non erit: eloquio magnum qui Nestora uincat:
Oréq; facundum possit superare Periclem:
Insideat labris quamuis Suadela Periclis.
Missus ab Augusto hic nuper tua limina, Paule
Serue Dei seruorum, adijt: tenuitq; precando,
Alleges, qui dispersas latéq; uagantes
Palantésq; reducat oues, mala gramina pastas.
Agnoscatq; unum & repetat grex omnis ouile.

Et te, CONARI, conari credere contrà
Difficile est: tua nam probitas, perspectáq; uirtus
Priscorum obseruans morum, diuersa probare
Non suadet, prolésq; sacris iam dedita templis.

CRETCOVI, quid tu rebus prope nate gerẽdis.

Quid

Quid tu PREREMBI: quo se Siradia iactat.
In quo & uirtutem & morem miratur auitum.
Induc ti prauis haud relligionibus es tis.
Non IACOBE tibi LASSO ci carmina possūt
Vlla satis laudum cumulum recitare tuarum.
Vnus enim, famæ si quicq; credere fas est,
Præclaræ gentisq; tuæ fratrumq; tuorum,
Qui Romana colat seruetq; altaria, restas.
HERBORTVS patrij uir consultissimus unus
Iurisq; atq; æqui, pietate insignis auisq;,
Stirpeq; maiorum generosa & grandibus ausis.
Ampla uetusq; domus nostro BVCZACIVS æuo.
Et ZEBRIDOVIVS nomen qui à flore decorum
Accepit, patrij consultus iuris & ipse
Et quoq; Theuto tui, non impietatis & aræ,
Qui et VILCA nouium constantem OCV nius aulæ
Splendor honorq; olim sequitur, iurisq; peritus
DEMBINIVS magni pars non postrema senatus:

 Doctus

Doctus amicitias colere, & tua sacra, Quirine.
Auelli antiquis non se patiuntur ab aris.
Ampla domus tua quod, MIELECI, his nobilis oris:
Amplior & fidei studio, tibi suadet: id esto.
Et Romæ infestum depellas finibus hostem.
Tu & GABRIEL TArlo, belli simulachra ciere
Gnarus, & in media proludere doctus arena:
Ac Martem dictis accendere promptus & hasta.
ALBERTVSq́ animis non inferiora sequutus,
Clarus imaginibus maiorum & laude suorum
CZARNCOVIVS, mitesq́ ferés in pectore sensus
LEZENIVS, qui & maiorum uestigia seruans
Se stabili ingenio priscis SIENINIVS æquat.
Noxius & nulli COMOROVIVS, atq́ peritus
Sarmatici iuris GOMOLINIVS, ampla uetusq́
Et stirps & pietas omni SAMOTVLIVS æuo:
Pro Latia opponent se relligione uolentes.
Nobilis & tua, CRETCOVI, notissima uirtus

Atq́

Atq; fides. æquiq; boniq; haud LANCIVS artis
Ignarus, sese numeris properantibus addunt,
LOBODII probitas, probitas laudanda DVNINI.
SC ZAVINI'q; tua, & NADarini sydera pulsant.
In Regem tua sit constantia quanta fidesq;,
Repperit immitis Moschus, doluitq; repertum,
IESOVI, sæuo cruciatu haud soluere linguam
In commissa tibi potuere arcana fidelem
Crudeles hostes. Regi qui regnat ad Arc ton
Imperijsq; potens Septem tenet arua trionis
Sic fidus seruis. colitur, cui militat orbis,
Cui terræ plaga, cui pontus, cui grandis Olympus.
Quæq; iacet regio, in poenas Acheronte sub imo,
A' te Iesoui non secius æthereus Rex.
Et tua progenies Italis NICOLAVS in oris
Palladis armisonæ studijs excultus & arte.
Atq; manu promptus sumptisq; GEORGIVS armis.
Vltimus & partus non sunt diuersa secuti.

GARVASI, euasit pietas tua nota, tetendit
Quos Saxo laqueos, nec te malus abstulit anceps.
Non VARSOVICIO pietate insignior alter
Est patre, non nato, quo ductore relictis
Argolicæ Musæ in Latium migrastis Athenis:
Et iuuat ore loqui Romano, et bella sonare:
Sæculaq́ue æternam chartis transmittere famam.
Inde SIEPRCIVS, eloquioq́ue VCHAnia proles
Ingenioq́ue acris. uirtusq́ue probata RVSOCI.
DZIRGOVIVSq́ue æuo florens, lætusq́ue iuuenta,
Ante annos maturus. et olim splendidus aulæ
Cultor, Romanæ at semper CONAPACIus urbis:
A nobis stabunt animis constantibus omnes.
COSTCAq́ue, qué patriæ sacra Cæsaris aula remisit
Imbutum multa pietate et moris amantem
Romani, tua non abeuntem in dogmata Saxo.
Et bonus eloquio, fandoq́ue OCIESCIVS acer:
Quo uult cunque animos dicendo flectere doctus.

Pontifi-

Pontificum defendet opes atque asseret astris.
Ipsa suum sileat Ciceronem Martia Roma:
Græcia nec iactet facunda Demosthenis ora.
Maior utroque hic est, huic non æquandus uterque.
Antè retro præceps uersis fluet Albula lymphis,
Aut fessus medio consistet Phœbus Olympo.
Auroræué petet mutato littora cursu,
Quàm pro aliis linquat Latias Ociescius aras.
Non TREBVCHO uiũ sileam: quanquam ille silẽdo
Plura potest nutuque aliis, qui plurima fando
Magna putant de se, nimirum & posse uidentur
Magna, olim placeat quascunque accedere partes.
Non ulli nostri est ingrata licentia sæcli
Scilicet, aut inuisa magis, studiumque nouandi
Discors, & suadet quodcunque insana libido.
Inque insueta ruens præceps, temerarius ardor.
Mite uiro ingenium est: & lædere nescia uirtus.
Prisca SIGISMVMdus nuper LIGenza repertis

Ante tulit semper: leuibus nec percitus auris,
In noua sacra uenit, notis submotus ab aris.
Augustus Cæsar qualem NICOLAE remisit
Te, LASCI, talem aspicimus: talemq́ uidere
Sarmata gaudet ouans. artes didicisse Gradiui
Armisoni iuuit magni uictoris in aula.
Heroasq́ inter primam formasse iuuentam
Arma inter media, ac undantes sanguine campos.
Non emollitum choreis dulciq́ Lyeo.
Vixisti pius in castris, quæ maxima laus est:
Nulla uiris est si pietas qui castra sequuntur.
Mens eadem perstatq́ tibi, perstabit & usq́.
Non & CORICIVS complexu auulsus Iesu est:
Aut noua sectatus nostri deliria sæcli,
Deseruit prima didicit quæ sacra iuuenta.
Moreq́ Romano sanctum prece numen adorat,
Cui Deus inspiratq́ animos & pectora, VVLOScus.
LENCI eadem tibi mens, eadem reuerentia diuum.

Antiquis

Antiquis sese pietate VAPOVIVS æquat.
Vt primam nuper multa cum laude iuuentam,
Pubentesq́ue annos Italis transegit in oris,
Nunc quoque succedens æque pius exigit æuum
In patria: haud quaquam priscorum oblitus auorum.
Ille, bonas omnes coluit qui sedulus artes:
Masouiæ decus, & Regalis CRISSIVS aulæ
Splendor honorq́ue, acer fidei defensor auitæ
Non deerit: magnisq́ue premet conatibus hostem.
Nec mora pro sacris quin sese ANTONIVS aris
Opponat MORA. scit quæ sit constantia gentis
Hispanæ: genus unde illi est, & stirpis origo.
Lætus ubi domino campos Bonauentus apertos
Prospectat latè, gemino circumdatus amne.
Antoni tua Pimentel, ceu Regia sedes.
Pimentel, quo sol medio decliuis Olympo,
Oceano rediens meliorem haud aspicit ullum:
Insignemuè magis factis, animouè priorem

Regali. cui non omnis, quam possidet orbis,
Gaza sat est: sic nunquam satiata profundit
Largiturq́ manus. quo sese Hispania iactat.
Illustrata tuis opibus gestisq́ superbis.
Et, quem piscosi genuerunt moenia Bari
FANELLVS, scopulo similis stat firmus & hæret
Immotus: non se huc agitans, non turbidus illuc.
Explicet ingenium, & quos condit pectore sensus
Cultus ADAM, nostris notus CONARius annis.
MATTHIAS MANColinius sua et ipse recludat,
Illa animis bona quæ fixit natura fouetq́:
Ipseq́ non deses studio illustrauit honesto.
Romula se miris attollet gloria rebus.
SCASSEVIos ego qd referam? quorũ altius hæret
Relligio defixa animis, quàm mota refigi
Vt, fingant quæ homines, ullis queat argumentis.
Masouiæ gentem agnoscas. SIEMINIVS annis
Canicieq́ uerendus homo, nec noxius ulli;

Illa

Illa senex seruat: prima quæ ætate probauit.

Hos inter medius diuino flamine plenus
Extemplo LVCAS, gentis lux clara Polonæ,
Quem magna accendit sacrarum gloria rerum.
Lucas, quo his terris non est præstantior alter,
Ore ciere uiros, animosq́ attollere coelo:
Infensum tundet Romanis moenibus hostem.
Quæq́ amens animi, furijsq́ agitatus & oestro
Multorum passim diffudit in ora Lutherus,
Ille, leuem tanq́ lampas Phœbea pruinam
Exoriens coelo tenues dissoluit in auras,
Dissipet: & tenebris illata luce fugatis,
Sarmata compellet dictis mentem exuat istam:
Qua in sese ignarus diuinas aggerat iras.
Quæq́ sacra, obliti sæcli melioris, auita
Mutauere nouis, eadem mox sponte resumant.

PICARIVSq́ aderit, trifidi qui fulminis instar
Oppositas moles, Romanisq́ arcibus arces

Obiectas ruat: & magna defendat opum ui
Sacrarum, saluis Tyberina sacraria rebus.
Proximus his BENEDIctus erit: benedoctus et ipse
COSMINIVS Phœbi cui cura nouemq; sororum
Haud postrema sedet: diuinis quæ addita chartis
Extulit ingenium terris & fixit Olympo.
CARNCOVII nec nos cœpere obliuia, iuris
Consulti atq; æqui. studijs qui penè relictis,
Papiniane, tuis totum sese abdidit altis
Sacrorum libris: & in illis sudat & alget.
Hic AVGustinus, Phœbi, noua fama, ROTundus
Occurrit: numeris nostris & carmine maior.
Vilna, tuus prætor: Regalis conscius idem
Arcani: non hoc maiore accedere nixu
Quenq;, successuué putem tam posse secundo
Arcto sub gelida Latium defendere nomen.
Ipse recludat opes, quæq; alto pectore condit
Sensa modò. & paulum clamosis litibus aurem

Subtra-

Subtrahat: ingenium gentis mirabere Lechi
Et sapere Hesperiam solam, Lipomane, negabis.
Et nos, BORVsci, & NICOlai PEtre, licebit
Carmine coniungam. quos iungit cura salusq;
Augusti Regis: quorum sibi munere certum
Promittit senium, longæuaq; tempora uitæ.
Docta manus quibus accedit fælixq; medendo
FRANCIsci NASCymbeni tribus una fidesq; est
Vnaq; Romuleis reuerentia debita sacris.
Nec BONAuétura ab ritu GARdanus auito
Discessit: doctus, nostraq; ætate Machaon.
Qui & nuper linqués ALBERtus Saxonis aulam
Cracouiæ repetiuit agros & moenia læta.
Docta Machaoniæ manus artis, & alta uiri mens:
Atq; eadem pia. nostra nouos quos parturit ætas
Exosi ritus, & tot uariantia sacra.
Quid SIMOSSARci, qd de pietate, GARboni,
Vestra ego commemorē: studium quibus astra polusq;

Et coeli motus: grauibusq́; occurrere morbis.
Quo ritu sacrisq́; quibus teneatur & aris,
Siue STANISlaus, seu PEtrus BARzius: ambo
Insignes digniq́;. eduxit Gallia primum:
Gallia Romanæ fidei certissima cultrix.
Inde licet discas, pietatem ijs imbibit oris.
Alter in Ausonia primos formauerat annos
Artibus ingenuis: patriamq́; reuersus ad Arcton
Cum fratre æquali aspicimus se laude ferentem:
Maioresq́; suos superare & uincere niti.
De uobis quid ego referam? duo, LAVVscia proles,
Germani? fusco quos ut natura colore
Tinxit, sic eadem pectus candore niuali
Infecit, studijsq́; fauens impleuit honestis.
Te, CRIZANOVI, capiut uix carmina nostra
Eductum studijs Musarum. aduersa sequutus
Sis licet antè, tuos scio non admittere sensus,
Quæ non Romuleus docet obseruatq́; senatus.

Non

Non GRABOVICIVS nobis indictus abibit.
Ingenium cuius doctas formauit ad artes,
Dulceq; Musarum studium natura: melosq;
Inseuit labris, & amænos Suada lepores.
Nec te transierim, STASCOVI Romula nuper
Temnentem sacra, Saxonicus quò te impulit error
Ignarum, primæq; incautum ardore iuuentæ.
Talis eras: at nunc ad pristina sacra reuersus,
Et male qui tenuit te quondam errore relicto:
Tam cultor Romæ es, quàm Tybridis accola nullus.
Et tu, PODOSCI, propera: Pataniq; penates
Linque uolens. Graium fugiens ubi maximus arma,
Condidit Antenor cineres atq; ossa sepulchro.
Adde tibi socios: quos tecum læta sororum
Pieridum studia exercent, & Appollinis artes.
Ferte uiri patriæ pro uestra quisq; uirili,
Altrici, quam poscit, opem. succurrite templis
Maiorum gaza extructis, opibusq; piorum.

Paule

PAVLE tuam COSSOBVCI Varsouia laudē
Haud nescit: centum solum opponere contra
Ausum: relligio stat quo prisca fidesq́.
Huius tu fidei hæredes morisq́ probati
Educis natos: colit hoc domus omnis amatq́.
Pectoreq́ ALBERtus fixit PRETOcius alto,
Pulchræ ubi uirtutes pleno sese agmine condunt,
Sacriq́ Aonides habitant Heliconis alumnæ,
Quicquid grande docet Latium & Romana colendum
Maiestas iubet, occiduus ueneratur & orbis:
Fessus ubi Titan uolucrum iuga soluit equorum.
Publica ni te alio scribendi torqueat ingens
Cura, queas Latio, CRZICOVI, adferre tuendo
Multa pius. comitesq́ alij, quos peruigil unà
Exercet labor, & fidus STEMPOVIVS, & tu
COSTCA bonus: nuper quos Itala terra remisit,
Florentes studijs ambos, ætatibus ambos.
Hinc ZABOROuius surgit: RVDnicius inde:
Pieridum

Pieridum cinctiq; choro, illustresq; dearum
Antenor tua linquentes cariosa sepulchra.
Illius & pia mens, indunt cui sæcula nomen,
Stat stabitq; hærens: non admissura profani
Saxonis exleges ritus, aliudué Quirini
Vrbs quod sancta odit, pietatis sedula nutrix.
Clausit & ANDREAS prauis suasoribus aures
HINCZA suas: procul errores & perfida pellens
Dogmata, quæ cæptum male uexant mobile uulgus.
Nec te diuorum ô cultrix Dobrinia tellus
Transierim: pietate alijs quæ haud urbibus ullis
Sarmatia in magna cedis, nec uinceris ullis.
Clarus IOANNES illis LASSOCIVS oris
Ad multam à teneris præ se tulit usq; senectam
Romanæ fidei cultum. MARTINVS & ipse
CHELMICIVS, ritus prisci obseruator uterq;.
Quem sibi, quem natis, serisq; nepotibus olim
Proponunt: quicquid deliret Saxo, colendum.

SANDIVOia nefas ait ingens ZELscius aris
Desertis, Romane, tuis noua quærere fana.
Hoc soboles, hoc tota domus cum laude sequuta est.
Atq; fide cedens haud ROKITNICIVS ulli,
Idem animis acer, sumptisq; interritus armis.
Et uos, GLOVINI, VITHcouiq; illa sequuti
Quæ uestri coluere patres. ORLOVIAq; audax
Progenies, quam Mauortis pulcherrima duri
Exercent studia, haud cantus mollesq; choreæ.
Et dextra promptus IANCOVIus inde, nec ullas
Qui præter Latias scit NASSEGNEVius aras.
MOCOVIusq; acer, simul OSTROuicius armis
Gaudentes, animisq; & telis currere in hostem.
IGNATI, qua sese effert SICZOVIA tellus
Progenie, nec mens friget tua: doctæ iuuentæ
Ignati moderator, amans pietatis, & idem
Non templi, aut olim fidei desertor auitæ.
Cracouia urbani constantia summa Senatus

Nota tui

Nota tui est: fidei merito quem dixero nostræ
Custodem magnam, si quisquam est ordinis eius,
BARTHOlomæus habet laudē partēq; CROmerus
Iustitiæ consultus homo, consultus & æqui.
Ad proceres, clara & Lituanæ nomina gentis
Nostra gradum fert Musa uolens festináq; pergit.
Hic nobis fueras, heros RADIVILE, canendus.
Olica quo gaudet Duce, quo Nesuisia tellus
Exultat, tantóq; adeò se iactat alumno:
Clara, sed immiti Septem subiecta trioni
Terra, uiris armisq; potens studijsq; Gradiui.
Hic te poscebat locus. at, quid tempora rerum
Non mutant? te nemo uirûm, quos uiderit ætas
Nostra, magis coluit Romanam aut sanctius aram.
Detractæ collo torques, diuisq; dicatæ,
Qui fueris, Radiuile, docent. nunc te abstulit, eheu,
Nescio quod Latio, & nobis male numen amicum.
Noster eras: si nostra ualent quid thura precesq;

Noster eris: gressusq; feres in limen ouilis
Antiqui referesq; tuos: quò sancta parentum
Te duxit pietas, & nunc uocat inclyta Roma.
Quid pius OSCICIVS: Lituani magna senatus
Pars, Radiuilorum genus alto à sanguine ducens,
Diues opum uariarum, at sese hoc ditior ipso,
Quòd stabiles animos, immotaq; pectora gestat:
Addictusq; nouis non relligionibus ullis,
Diuum sacra colit maiorum more suorum.
Notus hic est, Lipomane, tibi uir: notaq; uirtus
Illius & pietas. at quàm nunc notior esset,
Conuiuij exhibitos esses si passus honores.
Et tibi quod munus gentis de more pararat,
Non auersatus nuper, Lipomane, fuisses.
Omnis stet contrà quamuis Lituania, priscæ
Vsq; tenax fidei, nolitq; agnoscere nomen
Romanum antiquum terris capitoliaq; alta:
Magnanimũ audierit RADIVILVM, soluerit ora

Trocia.

Trociacæ ductor gentis, quem Liuo superbus
Formidat trepidans, in se iusta arma ferentem.
Formidet, uictusq; fleat: sua soluerit ora,
Eloquioq; tonet pro Roma. protinus omnes
Romanumq; colent nomen, capitoliaq; alta:
Heros facundus tantum ualet ille loquendo:
Vnius & pietas potis est tot flectere corda.
Hic, Lipomane, tibi centum pro millibus esto.
Dux et SBARACIVS præclaro sanguine cretus,
Vitbenij ductor populi, quoq; noster & ipse est.
Inuentisq; nouis haud quaquam accommodat aures:
Assuetus priscis, quæ mente recondidit alta.
Clarus auis atauis, stirpisq; haud degener altæ
KISKA suæ, toto latè quæ nota sub Arcto est:
Prælibata sacro qui præbet pocula Regi,
Augusto Regi fidus, non impia fana est
Pro templis Romane, tuis arisq; sequutus.
Non ALBERte tibi IASSINI pristina diuum

Relligio, gestas ima quam mente repostam,
Excidit, aut olim pulsa ullis excidet annis.
Nec VENCESLAVM NIcolai nostra silebit
Calliope, excultumque uirum, & pietatis amantem.
Quem nullæ excitæ nuper mouere procellæ
Priscorum à patrum ritu. maturus & æui
NOVICIVS paribus studijs pietateque nomen
Romanum colit, & templis indicit honores.
Hoc & IOANnes maiorū haud degener HAICO
Obseruans sequitur uestigia nota suorum.
Omnis & intonso gaudens Samogitia crine,
Si qua alia est, Latij est obseruantissima cultus
Natio, priscorumque sequens uestigia patrum.
Quas olim accepit pia, ritibus hæret in ijsdem.
Omne STANISLAVS IANussenicius æuum,
Hac degit tenus, & sacris exegit in ijsdem:
Non aliud, quicquid Lachesi de uellere nendum
Restat adhuc, noto quondam assuetoque relicto,

Ingres-

Ingressurus iter: non relligionis auitæ
Poenitet, haud quicquam, matris quod carpere Romæ
Possit, habet: quin illi uni submittere tutum
Mente, animo & toto penitus se pectore ducit.
MARCE, nepos cui dat cognomen, linquere Romam
Haud fers: in sacris & auorum immobilis hæres.
Hac quoq; te merito iactes pietate, SEBASTI
ANE, patris seruans Nicolai, haud degener, annis
Vt quondam à teneris, pietatem & Romula sacra.
Et LECHOVICIO sedet hæc sentẽtia: grande
Esse rato scelus insuetos asciscere ritus
Delubris diuûm, atq; diu sacra culta relinqui.
Romanoq́; bonus ueneratur more colitq;
PAVLVS BICZCO Deũ: sic iri credit ad astra.
Nomina dura legis: nec fando mollia: durum
Est hominumq́; genus, gelidos Aquilonis ad ortus
Prognatum: sed idem studijs communibus ardens
Romana mortem pro relligione pacisci.

Non si mille mihi linguæ sint, oraq; mille.
Infracta & uox sit, duro ex adamante: uirorum
Nomina, Sarmatia in magna qui sacra Quiritum
Atq; fidem toto uenerantur pectore, dicam.
Ocyus enumerem cum uenti Eurusq; Notusq;,
Quosq; alios uasto claudit Rex Æolus antro
Oceano incubuere, cient quot in æquore fluctus.
Aut Aquilo quantum foliorum decutit olim
Hercynia in sylua, uenit cum frigidus annus.
Finge sed hos omnes, & quos comprendere non est
Fas numero, spretis nostratibus illa sequutos,
Vesanus quæ Saxo docet: quæq; inscia ueri
Plebs probat: & gentem, quod abominor, error hic omnem
Occupet, AVGVSTVS sat erit Rex inclytus unus,
Augustus, quo nec melior, nec iustior ullus
Sceptra tenet, diui patris uestigia seruans,
Excitis sat erit tot tempestatibus unus
Sedandis: adsit tantum Deus æthere ab alto,

Palan-

Palantesq; reducat oues, non ultimo ab æuo,
Obscura & nostris ignota exempla petemus.
Nonne Calydonios uidit modo Roma Britannos
In sectas abijsse nouas, noua sacra sequutos?
Quos nunc conuersos ad pristina gaudet eosdem.
Hoc munus Regi nec se debere Philippo
Dissimulat Romanus apex: debere Philippo
Hispano, cuius pietate Britannia, ritus
Victa nouos liquit, capitolia ad alta reuertens.
An minus Augustum hūc Regē, Lipomane, putandū est
Posse, minusuè animis agitare? exempla suorum
Ante oculos habet, unde genus & stirps inclyta genti
Prima suæ. hos syluis populos Iagello relictis
Igne sacro, & diris colubris, quæ numina fas si
Ignari ueri, & stulti olim mente colebant,
Compulit ad Christi sanctos procedere fontes:
Inq; sacros latices flauentem immergere crinem,
Scilicet hæc repetens exempla domestica, quid non

 Augustus

Augustus magni augusto sub pectore uerset?
Aspicit Henricum Gallorum sceptra tenentem,
Et quoque bis socerum Regem, & cui summa potestas
Mille auctum imperijs Carolum, & uix sceptra ualētem
Enumerare, suos populos his legibus omnes
Stringere: nec priscis noua dogmata ferre relictis.
Et sua sustineat clarissima Sauromatum gens
Non numen ueneretur idem? non ritibus ijsdem
Sacra colat? diuisque suos indicat honores?
Parce metu, Lipomane, Deum non credere fas est
Auersum, miserans oculis nos aspicit æquis:
Sauromatasque suos, neque enim est exosus ad unum,
Seruabit procul hinc pulsis erroribus omnes.
Credo equidem: & ne quid uani mens auguret, opto:
Tempore post paulo, Augustus quibus imperat oris,
Omnibus una fides erit: ut Rex omnibus unus.

AD EVNDEM EIVSDEM PHALECIVM.

HOc mitto, Lipomane, carmen hirtum
Arcto sub gelida mihi quod horrens
Dictauit Boreas, quid an Thaliam
Huc credis penetrare & desitura
Nunquam frigora Musa pertimescit.
Scribam carmina, desipit Thalia &
Mauult qualiacunque quàm perire.

Excusum Cracouiæ. Anno post CHristum natum,
Septimo et Quinquagesimo supra Millesimum
et Quingentesimum, MEnse
Aprili.